

De nomine et origine Zitt

Ye
4958

CXLII.

De

X 2044 158

URBE & CIVI- TATE ZITTÆ

tertiæ Hexapole^{os} in Lusatiâ superiore
ex adfectu debito

stylo Latino soluto dicturum

MATTHÆUM CLEMASIUM Zittaviensem


benevolis ac faventibus Auditoribus
probabili more
commendat

JOH. Theiß Philosophiæ Magister, & Poëta
Scholæ Evangel. Budiss. Rector.

*Pietas non tantum est erga Deum, sed & erga liberos & parentes, aliosq;
sanguine junctos, ipsamq; adeo Rempubl. sive patriam, qua altera &
quidem major est parens. Cunrad Rittershus. in lib. III.
Salviani contra Avarit.*

BUDISSÆ excus. typis BAUMANNI mense Septembri
anni clc clc LXI.



um Vir hodie Excellens Dn. ELIAS Lehmann Reipubl. nostræ Physicus ordinarius maximè sedulus ante hos ipsos *annos octo ad III. Eidus Majas feriâ tertiâ hebdomadis* in frequentissimo Eruditorum procerum confessu patriæ Scholæ valedicturus esset, statuit neq; in commodiori neq; commendabili themate sese versaturum, quàm si de *Patriâ* suâ suiq; Parentis bene merentissimi hujus Reipubl. Cos. verba quædam faceret, quod & eopse die cum insigni laude præstitit, unde in publico Programmate Eum *in Budissâ natum & educatum, ex Budissâ discessurum, de Budissâ dicturum* omnibus Bonis commendavi, & ad audiendum ipsum Budissinos & Budissinenses Literatos officiosè invitavi, testibus Amplissimis & Eruditissimis illis Viris, qui tum temporis honorificâ Eum audientiâ prosequuti sunt, quorum potissima pars adhuc in vivis moratur.

Ejus exemplum postea anno cIo cIc LIXno, ex aliâ quidem & lamentabili causâ, imitatus fuit GOTTFRIED Wiesener *Raceburgo Mekelnburgicus*, qui & ipse, quum LAUBÆ (in quâ stemma & familia ejus a vita viguit) cineres, in quos à nefario nebulone, uti *hoc* demum *anno* patuit, redacta erat, colligeret ac deploraret, fontes simul ejusdem seu origines laudabili sermone recensuit: quod & ipsum plurimi apud nos viridi adhuc memoriâ conservant.

Horum, ut de extraneis aliis nihil jam dicam, ingenuis vestigijs inductus ZITTÆ vicinæ sororis nostræ laudem seu encomium meditatus est MATTHÆUS CLEMASIUS ex *agro seu districtu Zittano*, quod suum institutum cum primùm ad me, uti debuit, referret, non potui non summo probare opere, quia facile vidi observantiam heic utramq; facere paginam, instigavi itaq; ut in eo strenuè pergeret & omnem operam eò impenderet, quò amorem suum & φιλοπατρίαν omnibus Bonis ἐκ τῶν ἐνόνηων abundè probaret. Fecit hoc, & uno atq; altero ex Annalibus vetustis suffultus adminiculo peperit orationem de ZITTÂ omninò dignam, quam aures Eruditorum benevolè excipiant atq; attendant, quos propterea hâc schedâ ipsius nomine officiosè atq; devotè invito. Et

Et sanè quicquid disputet sub *Caroli Langij* personà (*lib. I. de Constant. cap. 10. & 11.*) *Iustus ille Lipsius* (qui sibi aliàs non semper *constitit*, adedò ut jocatum quemdam acceperimus, *Inconstantem de Constantià* scripsisse), bono jure patria cujusvis, quæ *exceptit* eum, quæ *fovit*, quæ *aluit* tum corpus tum animum, communi omnium sensu gentium sanctissima parens est atq; antiquissima. Univerfus universo orbis est patria, sed præter illam grandem atq; communem aviam alia est magis definita mater & peculiaris, cui arcano quodam naturæ vinculo propiùs atq; arctiùs obstricti sumus, nempe *natale illud solum*, quod *primum corpore pressimus*, *pedibus institimus*, *cujus aërem haurimus*, *in quo infantia nostra vagyt*, *pueritia lufit*, *adolescencia exercita est* & *educata*. Ubi familiare oculis cælum est, ubi flumina & agri, ubi longâ etiam serie cognati, amici atq; sodales, totq; gaudiorum illecebra, quas frustra alibi terrarum quæramus. Unde *feræ* etiam *bestiæ* cubilia sua amant, nidos suos agnoscunt *volucres*, ipsi etiam *pisces* in magno illo & interminato Oceano frui gaudent certâ ejusdem parte, quod sane nemo contra ipsam experientiam diffiteri aut refutare volet. Adeò *quilibet bonus commodis patriæ gaudet*, *incommodis dolet*, nam *salvâ eâ nostræ quoq; opes salvæ sunt*, & moriente illâ moriuntur, quod in ipsâ densissimâ suâ miserâ fateri voluerunt *Israëlitæ* ad *Babylonis* aquas & alias fluviorum *Affyriacorum* ripas expositi, teste cantico *Psalmi CXXXVII*mi, & *philopatride* illo *Nebemiâ*, ne gravissimum testem *Davidem* apud fideles, & *Ulixem* sive ex fabulis advocem sive ex historijs. Non itaq; inanis est verborum sonitus, non tralati-tius quidam mos & consuetudo, sed ipsa veritas, quòd quilibet amet suam patriam, pro suâ mori decorum putet atq; dulce, uti *Cicero* quidem dixit & *Horatius*. Nam si una omnium charitates complexa est patria, alia sanè in alios erit charitas, alia in patriam, aliàs enim *Cicero* malè distinxisset & sibi contradixisset. Profectò enim *Stoica* illa *Lipsii* thesis multa pariet absurda & inconvenientia. Nempe tu si patriæ juraveris, non teneris ad præstandum, nam non obligatus es huic vel illi, cui juraveras, totus siquidem mundus nostra est patria. Turcas ergo

ergo juvabis & Indos, Arabas & Massagetas, namq; & illi pars quædam sunt magnæ illius patriæ, quam mundum seu *οικουμένην* indigitamus. Stultè etiam fecerit Princeps & quilibet Magistratus, si me patriæ adstrinxerit, quam ego, *ex istâ hypotbesi*, agnoscere nec possum nec deo. Falsò proinde infimulabuntur Nazaretani, quòd Prophetam suum rejecerint, cùm universi mundi civis fuerit, non urbeculæ istius inter fructa enata. Falsò quoq; tu Lipsiensem te venditabis, ego me Naumburgensem, alius Pomeranum, alius Silesium: non enim nostra hæc est patria, sed universus mundus, unde rectè ille, quum patriam nominare nec vellet nec deberet, *Cosmopolitam* sese professus est. Cadet porrò totus ille Rhetorum titulus, ubi in *Genere* suo, uti vocant, *Demonstrativo* *μεγάλην ῥοπήν à loco Natali* ad laudem hominis accipere & sustinere solent, & sic rotum caput de *Pietate erga Patriam*, Valerio Max. peribit. Nec vana erit aut *ἀνάγκη* causa, si Gallus Hispanias appetat, Suecus Daniam, Moscus Poloniam, ipse immò Turca occupabit, *quod prohibessit Opt. Max. Deus Germaniam*: patria enim est, cujus dulcedo cunctos allicit. Afer ergò erit Asiaticus, & Chinesis Europæus, & Saxo Suevus, quia communem habent & eandem patriam. Non est ita, non est, ô boni! alia est *φιλανθρωπία* *Brüderliche Liebe* (sic enim distinxit *B. Petrus II. epist. I. §. 7.*) alia est *ἀγάπη* *gemeine Liebe*: plus sanè amavit Josephus *fratres suos*, quàm *aulicos Ægyptios*; pluris fecit *terram Canaanam*, quàm *Membrim Niloticam*, unde etiam juxta progenitores suos in illâ sepeliri maluit, quàm sub pyramide quâdam Cheopicâ: neq; ex patriâ in patriam Israelitas reduxit Jehova, quum è Babylone reduceret, sed ex *alienâ terrâ* in *avium* solum. Nisi fortè *Lipsius* eosdem putarit *Pontificios Belgas*, qui *Hispanæ* serviebant *Isabella*, & *Batavos*, qui *Principibus Auriacis* imperium detulerunt, quum tamen sociennus ejus *Muretus* alios judicaret *Polonos*, ad quos eum magnis pollicitationibus evocabat *Zamoscius*, alios verò *Italos* atq; *Romanos*, quibus erudiendis illum retinuit *Pontifex Romanus*.

Maneat itaq; illud *Ovidij* (qui se *lib. IV. Trist. eleg. 10. Sulmonensena*

sem fatetur, perinde ut Cicero *Arpinatem*, Virgilius *Mantuanum*, Catullus *Veronensem*, Propertius *Umbrium*, Horatius *Venusinum*, Lucanus *Cordubensem*)

Et pius est patriæ facta referre labor (*lib. II. Trist.*) unde & ante supra laudatum *Lebmannum* eod. anno *LIII* Itio † sub meâ disciplinâ & *Budissinus* commendabat *Lusatiam* & *Bischofwerdensis Misniam*, & *Calensis Thuringiam*. Rectè quoq; is, quem paullo antè nominavi, *M. Antonius Muretus* scribit (*Lib. II. Variar. Lectio. cap. 3*) “Quod in veterè Tragœdiâ *Telamonis* filius *Teucer* dixisse traditur, patriam esse cuiq; ubicunq; cuiq; esset bene, id etsi pulchrè ac sapienter dictum videtur, profectumq; ab animo excelso & despiciente omnes acerbitates, quas homini objicere fortuna posset: graviter tamen & verè reprehensum est ab oratore prudentissimo & acutissimo *Lysia*, demonstratumq; eam sententiam hominis esse de suis tantùm commodis solliciti, neq; ad civilem communionem apti. Non enim valdè laborabit, quid patriâ suâ fiat, quicunq; eo erit animo, ut illius charitatem oportunitatibus suis metiatur. Solum ipsum, cui primùm institit, et cœlum ipsum, unde primum spiritum duxit, diligat oportet, qui se bonum civem perhiberi vult: aut si fortè, cum alibi natus esset, civitate donatus est, eam imbibat opinionem, ut, nisi civitati bene sit, ne sibi quidem putet bene esse posse. Itaq; *Ulixes*, ut est in fabulis, cum apud *Calypsonem* posset in omnibus delicijs vivere, tamen illam asperam & lapidosam patriam suam anteposuit etiam immortalitati, non ita facturum, si illam *Teucris* sententiam approbasset. Verùm ipsa, verba, quibus eam exagitat *Lysias*, præstat, ut opinor, adscribere: Sunt autem in oratione adversus *Philonem*, hoc modo: και γὰρ οἱ φύσει μὲν πολῖται εἰσι γνώμη δὲ χρωῖται, ὡς πᾶσα γῆ πατρὶς αὐτοῖς ἐστίν, ἐν ἣ ἀνὰ τὰ ὀπιθήδεια ἔχουσιν, ἔτσι δῆλοι εἰσιν, ὅτι ἀνὰ παρέντες τὸ τῆς πόλεως κοινόν ἀγαθὸν ἐπὶ τὸ ἑαυτῶν ἴδιον κέρδος ἔλθουσιν, διὸ πὲρ μὴ τὴν πόλιν ἀλλὰ τὴν ἑσῖαν πατρίδα αὐτοῖς ἡγεῖσθαι. Igitur dictum illud *Teucris* bonum quidem virum aliquando fortasse non dedeceat, bonum certè civem, non decet. Hæc *Muretus*. Est tamen, ubi nimius etiam patriæ amor

(†) Vide Progr. *XLIX*.

A 3

in

in vitio sit, quod factum fuisse *Ephoro Cumanano* narrat *Petrus Victorius* (lib. XIII. *Variar. Lect. c. 4.*) qui nullibi sibi imperare potuit, ut patriam indictam relinqueret.

Quod verò ipsum nomen atq; originem ZITTÆ concernit, de eo non adeò laborandum esse putem, si modò constiterit, quod & hodieq; constat, urbem esse situ commodo, fertili solo, agro fecundo, moribus probis, religione sincerâ, populo forti, Reg. publ. optumè constitutâ, quod ipsi Deus misericordissimus perpetuum esse faxit. *Mattheus Dresserus* ἀπὸ τῆς σίτης, quod est frumentum, videtur deducere voluisse: *Vetusti* quidam annales à *Zytbaviâ*, *Zittaviâ*, *Sedenâ* seu *Sidoniâ*, piâ & illustri foeminâ, Christianissimi Principis *Manfredi* uxore, quæ anno *Christi MXXI. Eidib. Julii* obiit, inq; eo loco, quo Urbs est hodie, *cænobium Benedictinorum* fundaverat: unde & litera Z in insignijs urbis mansit. Licet verò tralatitium sit urbes à conditoribus suis nomina gerere, uti *Perusiam* à *Persio* seu *Perusio Trojano*, *Capuam* à *Capo* *Æneæ* commilitone (cujus alter commilito *Antenor Patavium* condidisse dicitur) *Romam* à *Romulo*, *Constantinopolin* à *Constantino*, & *Alexandrias* multas ab *Alexandro M.* hæ tamen & aliæ plures longè plus celebritatis ex suis moribus & rebus gestis sibi collegerunt, quàm nominis & famæ ex hisce conditoribus. Omnino itaq; longè celsiorem gloriam à *Regis filio* nacti sunt *Zittani*, quàm à *Regis filiâ* nempe *dum † Wenceslaum IV. Regem Bohemie Vitum Premyslai III. Ottogari fil.* per annos aliquot sanctè habuerunt & liberaliter educaverunt, quod & is postea cum insigni gratiâ & favore regio factus est. Porro aliquatenus videri queat jejunius, *Sittam* dici quasi *sitam*: nonne & *Burdissa* nostra *sita* est, & *opida*, & *pagi* sunt *siti*? sed & homines defuncti dicuntur *siti*, hinc *siticines*, & vetus formula *Inscriptionum H. S. E.* id est *Hic situs est*. Nolo alia huc adferre. Quòd si tamen *Etymologiis*, in quibus plerumq; sumus ἐτοιμοὶ πρὸς λόγους ὅσα ἔτυμοι & allusionibus indulgendum fuerit, eadem ego ratione vocabulum urbis deduxerim.

(†) Hic enim fuit ille *Wenceslaus*. Vide *Tob. Hauschkon. in Czechiade*
Campani recusâ & renovatâ ann. clc clc LII

ex principe linguâ quàm aliâ à principe fœminâ. Facile, inquam, est ar-
cessere *Zittam* à זִיטָא seu זִיטָא qui est *cibus* seu *commeatus vena-*
tione, hoc est, *industria ac labore acquisitus*, ex quo incolarum patefce-
ret *laboriositas & industria, liberalitas & beneficentia*, cujus rei testimo-
nia desumere possumus ex *Exod. XII. 39. I. Sam. XXII. 10. Psalm. LXXIIX,*
25. CXXXII. 15. Vel etiam à זִיטָא , *flos apertus, bractea, lamina*: literas e-
nim *z, s, d, & t* esse inter se εὐμεταβολῆς , harum rerum Eruditi & nõ-
runt & concedunt. Interim tamen vetustis ego Annalibus nihil de-
tractum volo, hoc saltem *Wolfgangi Heideri* † Viri præclarissimi (cu-
jus *Orationes insigni cum fructu à studiosis adolescentibus legi omni-*
nò possunt) subjungens: “*Historici recentiores (quos intelligat, in pro-*
patulo est), qui religionis & imperij mutationem secuti, & bona-
rum literarum, quæ tum exoleverant, imperiti, suis in claustris &
monasterijs historias & ipsi meditari cœperunt, conatu quem cul-
pare non possis, sed qualicumq; successu & propè nullo, nisi cum *Vir-*
gilio gemmas è stercoribus eligere non tædio sit aut pudori. Res descri-
bunt fere leviculas*, *quo loco Imperator Pascha celebrârit, quò Pente-*
costen, quò Christi natalem, quæ condita monasteria, quibus donata redi-
tibus, quæ exstructa sacella, quæ lemorum & larvarum apparitiones, quæ,
Missarum solennia: sed interim ea, quæ ad religionis propagationem,
ad certamina Ecclesiastica, ad summam Reipublicæ, ad leges, quæ,
pacis & belli firmamenta sunt, ad institutionem Collegij Electora-
lis, ad Imperatorum res fortiter & feliciter pro aris & focis gestas,
pertinent, vel omnia prætervehuntur silentio, vel leviter saltem,
quasi aliud agenres attingunt, & ita quidem ex venusto & succi ple-
no historiæ corpore efficiunt vel macritudine quemdam *Phile-*
ten, qui ferreas in calceis soleas ferebat, ne profterneretur à ventis,
si paullò spirarent vehementiùs, vel sceleton & osseam mortis ima-
ginem

(†) *Volum. II. Orat. XXV. quæ est prima de Thuringiâ.* (*) *juxta illud Æschibi-*
nis epist. 5. ad Ctesiph. Τα μικρὰ πάλιν ὑπερβαλλέειν μικρολογίας εἶναι
Φημι καὶ ἀπειροκαλίας, Res per exiguas maximi facere pusillitatis cujus-
dam & inscitie esse puto.

41 4e4958
“ginem, qualis inter Ægyptiorum epulas circumferri solebat, in qua
“nihil carnis & sanguinis, nihil nervorum & spirituum: tantum ab-
“est ipsorum ut historiam Cicero definire possit *testem temporis, lucem*
“*veritatis, vitam memoriam, magistram vite, nunciam vetustatis, nec*
“quidquam minus has in ῥαψωδίας convenit, quàm illud Livianum in
“proœmio, *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre & frugife-*
“*rum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri,*
“*unde tibi tuæq; Reipubl. quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum*
“*exitu, quod vites.*

Plura forsàn de laude laudatissimæ hujus Urbis afferri debe-
bant & poterant, nisi charta excederetur, quum enim inter se ita ad-
fectæ fuerint hæcenus Hexapolies, ut neutra alteri laudem & famam
invideat, non verendum mihi fuit, ne idem obtingat, quod olim *Pin-*
daro à suis civibus Thebanis, uti narrat *Æschines epist. IV. ad Ctesiphon-*
tem, & Pausanias in Atticis. Nempe cum *Pindarus Thebanus* Athenas
appellasset λιπαρὰς καὶ αἰοδιμὰς, Ἑλλάδος ἔρεισμα, multatus fuit à suis
civibus mille drachmis (*Schmidius in Pindari Isthm. A. computat 166 $\frac{2}{3}$*
flore.) ut qui ægrè ferrent, eum alienis potiùs quàm suis, eam tan-
tam laudem dedisse. Athenienses tamen, ubi rescivissent, confestim
ei duplum ejus miserunt pecuniæ, quam ab eo Thebani multam exe-
gerant, præterea etiam æneâ statuâ ante regiam porticum positâ or-
naverunt, ubi sedebat *Pindarus cum pallio & diademate, lyram tenens*
& supra genua librum apertum. Sed hæc priùs fuere, dicit *Catullus.*
Quicumq; nostri CLEMASII studium probaverit, nemo autem pro-
borum improbabit, ille simul dignum *Eum* auditu consebit, & votum
ad JEHOVAM effundet devotissimum, ut vinculum Hexapolitanum ne-
xu ἀδιαλύτῳ & adamantino constringere & retinere velit, id quod ego
etiam olim publicâ voce conceptum testatus sum. DEUS annuas
& confirmet!

☉(**)☉

Q. K. 150, 11.

URBE & C

TATE ZIT

tertia Hexapole^{ως} in Lu

ex adfectu debi

stylo Latino soluto diē

MATTHÆUM CLEMAS

benevolis ac faventibus

probabili mor

commendat

JOH. Theiss Philosophiæ M

Scholæ Evangel. Budis

*Pietas non tantum est erga Deum, sed & er
sanguine junctos, ipsamq; adeo Rempubl.
quidem major est parens. Cunrad*

Salviani contra A

BUDISSÆ excus. typis BAUMAN

anni clc clc L



CXLII.
De



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

220

